

EJUSDEM SANCTI PATRIS EPHRAEM SYRI
BEATITUDINES ALIAE.

Capita XX.

I.

Beatus, qui praesentem hanc vitam odit ac deserit, & in solo Deo meditatio vita suae est.

II.

Beatus, qui odit ac detestatur pessimum peccatum, Deumque solum bonum atque hominum amatorem diligit.

III.

Beatus, qui in terra est tamquam Angelus coelestis, & imitator factus Seraphim, castas assidue cogitationes habet.

IV.

Beatus, qui castus est Deo, & sanctus ac purus a cunctis immunditiis, cogitationibusque, ac operibus improbis.

V.

Beatus, qui totus in Domino est liber a cunctis hujus vanae vitae rebus.

VI.

Beatus, qui mente versat formidabilem illam futuri judicii diem, & qui lacrymis vulnera animae suae curare studet.

VII.

Beatus, qui prorsus est ut nebula in lacrymis, assidueque flammam ignis improbarum passionum restinguit.

VIII.

Beatus, qui in via mandatorum Domini ambulat, mansiones jugiter sibi sincere faciens per fidem & caritatem.

IX.

Beatus, qui in bonis asceticae vitae moribus proficit, & a Deo se regnum coeleste accepturum sperat.

X.

Beatus, qui horribilis mandati de verbo otioso meminit, & ori suo custodiam ponit, ne excidat a mandato.

XI.

Beatus, cujus anima facta est tamquam lignum nuper satum, semper lacrymas secundum Deum, tamquam flatum aquae, continens.

XII.

Beatus, qui pro optimis plantis virtutes ac vitas Sanctorum in sua plantat anima.

XIII.

Beatus, qui plantas suas plantat, irrigatque lacrymis ac precationibus, ut fructus gratos proferant Domino.

XIV.

Beatus, qui flamma amoris Domini incensus, sordidas quascumque cogitationes & animae suae inquinamenta comburit.

XV.

Beatus, qui suapte voluntate est velut terra pulchra ac bona, fructificans semen bonum in centesimo, trigesimo, ac sexagesimo.

XVI.

Beatus, qui ex instituro inventus est semen bonum in agro, quod in suo agro seminavit Dominus.

XVII.

Beatus, qui electam & coelestem illam invenit margaritam, venditisque universis suis in terra bonis, emit illam solam.

XVIII.

Beatus, qui in agro absconditum thesaurum invenit, & gaudens vendidit sua omnia, & illum solum possedit.

XIX.

Beatus, qui animo suo versat assidue diem ex hac vita discessus, studetque sedulo paratus & intrepidus in hora illa inveniri.

XX.

Beatus, qui in hora illa emigrationis, quando cum timore atque dolore anima separabitur a corpore, fiduciam invenerit. Venturi enim sunt Angeli, qui animam accipiant, & a corpore separent, sistantque ante tribunal immortalis ac tremendi Judicis. Magnus timor erit, o fratres, in hora mortis, quando cum timore atque dolore separabitur anima a corpore. Siquidem in hora illa separationis praesentabuntur animae sua quae gesserit opera, diurna atque nocturna, sive bona, sive mala. Impellentibus autem eam jam Angelis, ut exeat e corpore, illa respiciens ad sua opera, egredi pertimescet. Peccatoris vero anima cum timore e corpore recedet, & tremebunda abibit, statuenda ad tribunal immortalis Judicis. Cum autem jam emigrare e corpore cogetur, contuebiturque sua

opera, tunc cum timore dicet eis: Concedite mihi unius adhuc horae spatium, donec egrediar. At cuncta ejus opera simul una voce respondebunt, dicentque ei: Tu nos fecisti, tecum una ad Deum ibimus.

Despicientes igitur vanitatem hujus vitae, fratres mei carissimi, Christum unicum desideremus, sanctum ac redemptorem animarum nostrarum. Ignoramus, fratres, qua hora noster exitus futurus sit. Nemo diem & horam separationis exploratam habet. Nobis super terram absque omni sollicitudine ambulatibus, & deliciis ac voluptatibus vacantibus, repente formidabile mandatum emittitur, separationis animae a corpore: migratque peccator die & hora non exspectata, animam plenam peccatis habens, nec iis excusationem reperiens. Quamobrem hortor moneoque, carissimi, ut efficiamur liberi, neque vanae & fugacis vitae hujus servitute detineamur. Haec vita offendiculis & laqueis mortis plena est. Ab his animam nostram quasi alis quibusdam extollamus. Improbis daemon perpetuo nostris animabus struit insidias, ut cum eas scandalis affecerit, ad aeterna supplicia pertrahat. In medio offendiculorum incedimus, carissimi. Quare attendamus nobis, ne in laqueos mortis incidamus. Dulcedine pleni sunt laquei malignae mortis. Caveat anima nostra, ne laqueorum ejus dulcedine relaxetur. Est autem istorum laqueorum dulcedo, sollicitudo rerum terrenarum, ac pecuniarum, nec non pravaram cogitationum atque actionum. Cave, dulcedine laqueorum mortis capiaris, frater. Cave, dissolutus laxeris meditatione improbarum ac turpium cogitationum. Quod si aditum sibi in animam cogitatio mala fecerit, iniqua meditatione eam oblectat, ut ipsam morti tradat: sitque mala cogitatio tamquam laqueus in anima; neque expellitur, nili precibus, lacrymis, continentia, atque vigiliis. Idcirco advigila, & liber esto a cunctis rebus terrenis, ut a laqueis, & a cogitationibus, actionibusque iniquis libereris. Cave, ad momentum quidem temporis in improbae cogitationis meditatione relaxeris. Cave, frater, ne cogitatio perversa in anima tua immoretur. Assiduis ad Deum precibus, jejuniis, ac lacrymis confugito, ut ab universis laqueis, offendiculis, & passionibus libereris. Cave, tibi longam adhuc in terris vitam persuadeas, o frater, & interim in medicatione pessimaram cogitationum, actionumque mollescas ac dissolvaris: edictum autem ex insperato emissum a Domino te peccantem offendat, nuliumque tibi poenitentiae ac remissionis tempus reliquum tribuat. Et quid dicturus es morti in hora illa tuae emigrationis, o frater? Accidit enim, ut ne puncto quidem hora? te patiat praeceptum Domini in terris remanere. Cum longam multi sibi persuadeant in terris vitam, venit ex insperato mors, de hominem reperit peccatorem ac divitem, sibi multos adhuc annos, quibus se tranquille super terram victurum credit, computantem, summamque pecuniarum suarum atque usurae in digitis supputantem, de in multa annorum tempora numerum suarum divitiarum partientem. Venit autem mors ex insperato, de omnem ejus computum una cum divitiis & sollicitudinibus vanissimi temporis in momento destruxit. Venit rursus mors eadem ad virum justum, quem bonas de coelestes divitias precibus ac jejuniis congregantem, mortemque assidue ob oculos habentem, mortisque adventum ac corporis separationem nullatenus metuentem invenit. Sic & tu semper, velut intelligens ac spiritualis, quotidie mortem, ac separationem animae a corpore, apparitionemque ad tribunal Domini, exspecta. Lampadem tuam quotidie, tamquam paratus ac prudens, instructam habe, eamque iterato singulis horis cum lacrymis de precibus, ut parata sit, adverte. Quamdiu tibi est integrum, neque oppugnaris, serio tuis rebus consule, carissime. Veniet enim tibi tempus incredulitatis, negligentiae, ignaviae, atque duritiei plenum, quod prae confusione sua quae sint potiora, cogitare non sinet. Attendite, carissimi, quo pacto omnia jam mala vigeant, quomodo pessima quaeque suos quotidie progressus faciant, quomodo malitia accrescat: quae omnia futuram confusionem, magnamque illam tribulationem superventuram in omnes fines terrae portendunt. Propter nostra peccata quotidie ista

omnia proficiunt, de propter nostram relaxationem atque ignaviam vitia in terris regnant. Simus ergo vigiles, o Dei amatores, de strenui bellatores, ut quotidie hostem improbum in pugna superemus, velut perfecti amatores Dei. Instruamur & moribus hujus belli: siquidem invisibilis est hostis; sunt autem in hoc politi mores belli illius, ut nos rebus spoliemus terrenis. Si mortem assidue ob oculos constitutam mediteris, non peccabis. Si rebus terrenis exutus fueris, in pugna non superaberis. Si terrena oderis, de momentanea, carissime, despexeris, tunc victoriae palmam, tamquam optimus belligator, consequeris. Cum enim res terrena deorsum ad se trahant, & passiones oculos cordis in bello obfuscent, hanc ob rem nos in belli conflictu improbus vincit hostis, quod terreni simus, rerumque terrenarum nimium satagamus, & cupiditatibus serviamus. Nam quotquot sumus, carissimi, terrena hodie diligimus, & in terris mentem nostram defixam habemus, ob nostram mollitiem atque segnitiem. Dies inclinatur ad vesperam: tempus nostrum effluxit; nos autem ob nostram incredulitatem, horam adhuc matutinam esse putamus. Ecce prae foribus est regnum coelorum, & nos interim de hoc nolumus audire signa & prodigia, quae Dominus prodixit. Pestilentiae, terrae motus, terrores, bella, ac gentium motus jam contigerunt. Haec autem omnia nobis pro somniis referri videntur: neque quidquam commovemur eorum auditu, vel etiam aspectu. Electi ne videant magnam illam confusionem, atque pressuram, quae iniquum hunc mundum obruet, colliguntur. Jam tempus advenit messis, & maturuit leges. Finem habet hoc seculum: & Angeli arreptis falcibus, nutum praestolantur. Timeamus ergo, carissimi. Hora est jam undecima dici, & prolixum adhuc iter nobis superest. Ad hoc incumbamus, ut in via inveniamur. Sobrii simus, & evigilemus a somno, velut insomnes. Ignoramus qua hora Dominus universa terrae venturus sit. Quare a nobis onus atque sollicitudinem rerum terrenarum deponamus. Verae enim Dominus sollicitos omnino nos de quacumque re super terram esse; commendatque mutuam inter nos caritatem. At a nobis potius caritas exterminata est, & e terris profligata. Peccatis plena sunt omnia. Cunctos pariter occupavit injustitia. Unusquisque terrena concupiscit, & coelestia spernit: futura diligit nemo. Cupis coelestis fieri? Sint tibi semper odio atque detestationi quaecumque res terrenae: exercitationem, tamquam perfectus, cole, & ad regnum coeleste aspira. Cave autem tecum cogitando sic dixeris, monache: Magnus in exercitatione consistit labor; ego vero pusillus sum & imbecillus, nec exercitationum laborem perferre valeo. Auribus tuis pulcherrimi optimique consilii verba percipito, & quae tibi, carissime Christique amantissime frater, dicturus sum, memoria manda. Si ad aliam longinquam regionem & patriam peregrinari velis, non poteris totius itineris intervallum unico temporis momento absolvere; sed pedetentim quotidie per multas mansiones proficiscens, post magnos tandem itineris exantlatos labores pervenies in eam, quam exspectabas, regionem. Sic quoque de coelesti regno, & paradiso deliciarum agitur: quo per jejunia, per continentiam, & per vigiliis unusquisque pervenire potest. Siquidem continentia, lacrymae, preces, vigiliae, & caritas, ipsae sunt mansiones, quae in coelum ducunt. Ne verearis pulchrum initium bona via suscipere, quae ad vitam ducit. Per illam solum incedere viam velis, & promens in te animus invenietur, eademque mox via ante pedes tuos dirigetur. Gaudens & incedens non sine oblectatione per iter illud mansiones facies. Gressus animae tuae per singulas mansiones reddentur firmiores. In hac via, quae ducit ad coelum, nullam invenies difficultatem. Dominus ipse coelestis per seipsum factus est via vita his, qui cum gaudio ad patrem luminum pervenire cupiunt. Tu mihi, Christe Salvator, factus es via vitae, ad Patrem ducens. Sola haec gaudium in se continet, finisque ejus regnum coelorum est. Factus es mihi, Domine Jesu fili Dei, via vita, & illuminatio, hausique per me ipsum ex tuo fonte dona, plenus desiderio. Facta est tua gratia in corde servi tui lux atque laetitia, dulcior in ore famuli tui super mei & favum. Facta est gratia tua in anima servi tui, velut thesaurus, paupertatem ditavit, egestatem & putredinem depulit. Facta est gratia tua servo tuo refugium & virtus, protectio &

exaltatio, gloriatio & cibus totius vitae. Quomodo ergo servus tuus, Domine, magnam caritatis & gratia tuae dulcedinem silere poterit? Indignum os meum aperui: sed quo pacto lingua mea largitorem bonorum pro dignitate laudare & glorificare poterit? aut quomodo rursus ego peccator excludere audebo gratia tuae fluctus in corde meo pullulantes, ac suavitate multiplicium donorum plenos? Canam gloriam coelorum Domino, qui famulo suo dona coelestia per multiformia munera est largitus. Magnificabo gratiam tuam, Christe Salvator: in hac etenim magnificanda, ego ipse magnificabor. Non cessabo, Domine, lingua mea gratiam tuam collaudare. Non silebit mea cithara modulans cantica spiritualia. Ad te, Salvator, qui gloria es vitae meae, desiderio tui trahor. Tua gratia mentem meam ad sequendum te, dulcedine quadam trahit. Fiat tibi cor meum terra bona, quae semen bonum suscipiat, illamque rore vitae aeternae perfundat gratia tua: eademque gratia manipulum optimum e terra cordis metat compunctionem, adorationem, sanctificationem, cujusmodi semper tibi sunt gratissima. Convertite meam animam cum ove illa inventa ad ovile Paradisi deliciarum. Anima mea in illo lumine inveniatur. Et sicut ovem illam inventam in humeros tuos sustulisti; ita quoque indignam hanc meam animam ad te manu tua trahe, offerasque utramque immaculato atque immortalis Patri: ut cum omnibus Sanctis in deliciis illis Paradisi dicam: Gloria Patri immortalis: adoratio ei, qui coelestia dona vili atque abjecto contulit, ut gloriae drachmam ipse offerat Regi universorum in secula. Amen.